



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

V. De Fortitudine, ejúsque partibus, & oppositis Vitijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUAESTIO V.

De Fortitudine, ejusque partibus & oppositis Vitijs.

33. **P**ostquam de Temperantia, quae turpia refugit, & abstinet ab illicitis voluptatibus, dictum est; restat agendum de Fortitudine, quae honesta aggreditur, & animi dolorem fortiter sustinet: eò praesertim, quod & ipsa occupatur in moderandis passionibus animi, ne mentem ab honesto avocent, atque illis praesertim, quae pertinent ad fugam corporalem malorum. Potest equidem Fortitudo in largiori sensu accipi pro firmitate animi in bono honesto, qualis in cujuslibet virtutis actione reperitur: verum in hac acceptatione ea non est virtus à cæteris distincta, sed potius conditio ad omnem virtutem requisita. Propriè igitur loquendo de Fortitudine, sit

Ratio ordinis.

Fortitudo largè.

Fortitudo propriè, quid?

Vir fortis, quis?

Fortitudinis partes potentiales, quae?

Magnanimitas, Confidentia, quis?

34. CONCL. I. *Fortitudo est virtus, quae voluntatem inclinatur ad labores perferendos, & iusta pericula aggredienda.* Ita in re communis. Siquidem hæc virtus mediocritatem tenet inter Timiditatem & Audaciam, juxta illud Aristotelis 3. *Eth. c. 6.* dicentis: quod ea sit *Mediocritas circa metum & audaciam.* Nam Fortitudo virtus consistit in perpeffione iustorum laborum, quos fugit Timiditas; & in aggressionem iustorum periculorum, ubi Audacia in quælibet pericula proruit, sive iusta sint & honesta, sive non. Unde *Vir fortis est*, qui honestatis causâ nunc quidem cum fiducia pericula aggreditur & tolerat, quando, ubi, & sicuti ratio dicitur; nunc verò ingruentia mala timeret, aut sustinet, quæ & quando timere, aut tolerare oportet. Et de talibus legitur Hebræ. 11. *Fortes facti sunt in bello.*

35. CONCL. II. Partes Fortitudinis potentiales (nam subiectivas non habet, quia hæc virtus versatur circa materiam valde specialem, quæ plures virtutum species constituere nequit) sunt praesertim Magnanimitas, Confidentia sive Securitas, Patientia, & Perseverantia: quæ quia sunt multum affines ipsi Fortitudini, rectè partes potentiales ipsius dicuntur.

36. *Magnanimitas est virtus, ad opera magna & heroica in omni virtutum genere inclinans. Confidentia (quam alij Securitatem appellant) est quietatio voluntatis orta ex fiducia, qua*

Patientia, &
Perseveran-
tia, quid?

quis rationabiliter confidit, se malum imminens superaturum. *Patientia est virtus*, quæ in adversis rebus animi moerorem temperat, ac mala præsentia æquanimiter tolerat. Et tandem *Perseverantia est virtus*, consistens in eo, quod quis in bene cœptis pergat, eaque usque ad finem continuet; juxta quod *Matth. cap. 10.* Salvator ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Fortitudini
opponitur

37. CONCL. III. Fortitudini, quæ hinc timorem, illinc nimiam fiduciam sive audaciam moderatur, per excessum & defectum utriusque opponuntur varia vitia. Inprimis enim per excessum timoris, opponitur ipsi *Timiditas*; qua fit, ut mala imminencia nimium formidentur, & non aggrediantur, etiam dum restitatio dicat aggressionem eorum. Per defectum verò timoris opponitur eidem *Stupiditas animi*, qua quis ob animi stupiditatem nulla mala seu pericula formidat, etiam quando eadem formidare, & cavere, secundum rectam rationem deberet.

Timiditas.

Stupiditas
animi.

38. Deinde per excessum fiduciæ, opponitur Fortitudini *Audacia*, seu temeritas in aggrediendis periculis, quando, quomodo, vel ubi non oportet. Per defectum verò fiduciæ, opponitur Fortitudini aliud vitium, & dicitur *Ignavia animi*, nihil audentis, ubi, quando, & quomodo aggredi, vel sustinere oportet.

Audacia, &

Ignavia a-
nimi.

38. Deinde per excessum fiduciæ, opponitur Fortitudini *Audacia*, seu temeritas in aggrediendis periculis, quando, quomodo, vel ubi non oportet. Per defectum verò fiduciæ, opponitur Fortitudini aliud vitium, & dicitur *Ignavia animi*, nihil audentis, ubi, quando, & quomodo aggredi, vel sustinere oportet.

QUÆSTIO VI.

Quæ requirantur ad Martyrium?

Martyrium
excellenti-
simus actus
Fortitudi-
nis.

39. **F**ortitudinis virtus vel maximè elucescit occurrentibus malis seu periculis repentinis, iisque maximis, utputa quæ mortem inferunt. Unde colligunt Doctores, Martyrium esse excellentissimum Fortitudinis actum; nam Martyres propter testimonium Christi, servandumque bonum veritatis fidei, ipsam vitam profundere non perhorrescunt. *Martyr enim græcè, latinè Testis est*: unde *Martyres Christi* dicuntur quasi Testes ipsius, sive veritatis, quæ per Christum nobis innotescit. Agendo igitur de Martyrio, sic

Martyrium,
quid?

40. CONCL. I. *Martyrium est tolerantia voluntaria mortis ex odio veræ Fidei, vel alterius virtutis Christianæ inflictæ.*

Pa-